

12

I N D E X
SCHOLARVM AESTIVARVM

PVBLICE ET PRIVATIM

IN

VNIVERSITATE LITTERARVM IENENSI

INDE A DIE XXI M. APRILIS
VSQVE AD DIEM XXX M. AVGVSTI A. MDCCCLXXIII

H A B E N D A R V M



PRAEMISSA EST
CONRADI BVRSIAN
DE PRAXITELIS CVPIDINE PARIANO COMMENTATIO

IENAE
PROSTAT IN OFFICINA RATII



Bibliothèque Maison de l'Orient

156212



Inter signa quae Praxitelem fabricatum esse accepimus haud ultimum locum tenent duae Cupidinis statuæ marmoreæ — missas enim facio et eam quam Messanae in C. Hei Mamertini sacrario fuisse narrat Cicero (in Verrem lib. IV, 2, 4 ss.), quippe quae e statuâ Thespiensi imitando expressa fuisse uideatur,¹⁾ et aeneam a Callistrato (statuæ c. 4) descriptam, quippe quae num omnino usquam terrarum extiterit dubitare liceat — altera posita Thespiis in oppido Boeotiae, altera Parii in urbe Mysiae ad Propontidem sita. Ac de Thespiensi quidem statuâ eiusque et gloria et fatis quamquam plurima extant ueterum scriptorum testimonia quae collecta leguntur in Henrici Brunn Historia artificum graecorum (*Geschichte der griechischen Künstler Vol. I. p. 341*) et in Ioannis Ouerbeck libro qui inscribitur '*Die antiken Schriftquellen zur Geschichte der bildenden Künste bei den Griechen*' (p. 240 ss.),

1) Idem fere statuendum esse uidetur de tribus reliquis signis 'pulcherrimis summo artificio summa nobilitate' quae in illo Hei sacrario fuisse tradit Cicero, de Hercule ex aere facto qui Myronis esse dicebatur et de duabus Canephoris quarum artificem Polyclitum esse dicebant. Vix enim adducor ut credam illis temporibus quibus antiquorum artificum opera magno in honore sed maiore etiam pretio erant contigisse homini priuato in oppido Siciliae degenti ut genuina tam clarorum artificum quales tunc erant Myron, Polyclitus, Praxiteles opera sibi compararet. Et Hercules quidem ex aere factus qui Myronis esse dicebatur

tamen nemini adhuc ex plurimis illis scriptoribus qui recentioribus temporibus uel fusius uel breuius de celeberrima illa statua disseruerunt (quorum nomina composuit Bernardus Stark in dissertatione cui inscripsit *‘Ueber die Erosbildungen des Praxiteles’* typis descripta in Actis societatis litterarum regiae Saxonicae anni 1866 p. 155 ss.)— nemini inquam adhuc contigit, ut accuratam illius signi imaginem nobis ob oculos poneret, neque mihi nunc in animo est hanc quaestionem iterare, cum certiora eis quae ab aliis proposita sunt me prolaturum esse non confidam. De altera autem Cupidinis statua quam Parii positam fuisse supra diximus unum extat Plini testimonium (N. h. XXXVI, 5, 23) his uerbis conceptum: *Eiusdem [Praxitelis] et alter [Cupido] nudus in Pario colonia Propontidis par Veneri Cnidiae nobilitate et iniuria [cf. de iniuria a iuvene quodam libidinoso Veneris Cnidiae statuae illata Plin. l. l. § 21; Valer. Maxim. VIII, 11, ext. 4; Lucian. Amor. 15 s.]: adamauit enim Alcetas Rhodius atque in eo quoque simile amoris uestigium reliquit.* Cum hoc Plini testimonio Bernardus Stark in dissertatione quam modo commemorauimus de Cupidinis simulacris a Praxitele fictis (p. 158 s.) composuit epigramma Palladae Alexandrini (quem poetam circa annum 400 p. Chr. n. floruisse constat) in epitome anthologiae Constantini a Maximo Planude confecta (lib. IV, n. 207) nobis seruatum haec:

mihī aequē ac Ludolfo Stephani (*Der ausruhende Herakles* p. 193 s.) arte iungendus esse uidetur cum Hercule Myronis quem Romae apud circum maximum in aede Pompei Magni fuisse scribit Plinius (N. h. XXXIV, 8, 19, 57); neque uero ita ut Stephanio placuit qui signum ex Hei sacratio ablatum a C. Verre Q. Caecilio Metello Pio Scipioni dono datum esse censuit, sed potius ita ut statuam ab ipso Myrone factam antequam Romam transferretur ab ignoto aliquo artifice accurata imitatione expressam, hoc autem simulacrum siue ab ipso Heio siue ab uno e maioribus eius emtum esse statuam. Quod ad Canephoros attinet quae Polycliti nomine ferebantur iam ex eis quae de specie illarum a Cicerone docemur („signa non maxima uerum eximia uenustate, uirginali habitu atque uestitu quae manibus sublatis sacra quaedam more Atheniensium uirginum reposita in capitibus sustinebant“) facile colligere possumus, signa illa non a Polyclito sed ab ignoto aliquo artifice Attico fuisse sculpta.

Γυμνός Ἔρως, διὰ τοῦτο γελᾷ καὶ μείλιχός ἐστιν·
οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη.
οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφίνα καὶ ἄνθος·
τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇ δὲ θάλασσαν ἔχει.

Hoc epigrammate duce usus Starkius Cupidinem Parianum armis hoc est arcu, sagittis, face carentem, dulce ridentem, altera manu delphina altera florem tenentem ab artifice fictum fuisse statuit, eo consilio ut deum in omnia animantia terrae, maris, aëris dominantem significaret. Haec Starki sententia quam probavit Ioannes Ouerbeck in *Historia plastices graecae (Geschichte der griechischen Plastik Vol. II p. 36 s. edit. II)* firmo fundamento omnino caret, itaque acutior quam uerior esse mihi uidetur. Quid enim, quaeso, nobis persuadet, ut epigramma illud Palladae quo Cupido nudus uultu hilari et comi manibus delphina et florem tenens describitur ad Praxitelem Cupidinem Parianum potissimum referamus? Num praeter hunc nullus extitit Cupido nudus siue marmore scūlptus siue aere fusus siue in tabula pictus? Num tibi ueri simile uidetur artificem pulcrorum corporum effingendorum imprimis studiosum, qualem Praxitelem fuisse constat, tam acuto ne dicam tam quaesito artificio in Cupidine fingendo usum esse quale illud est quod ei tribuit Starkius?

Sed ne longius in interrogando progrediamur iam certius epigrammate illo Palladae anquiramus adiumentum ad signum Parianum restituendum. Tale adiumentum nobis praebet nummus urbis Parii Imperatore Antonino Pio imperante cusus cuius unicum quantum scio exemplar seruatur in locupletissimo nummorum thesauro A. de Rauch Berolinensis uiri de nummorum ueterum doctrina egregie meriti qui accuratam huius nummi descriptionem exhibuit in commentatione quae inscribitur *Inedita der von Rauchschen Sammlung griechischer Münzen* inserta Annalium nummariorum ab Iulio Friedlaender editorum (*Berliner Blätter für Münz- Siegel- und Wappenkunde*) uolumini V (p. 12 ss.) addita simul imagine in tab. LV fig. 3. In anteriore huius nummi parte expressum est caput Imperatoris Antonini Pii laureatum dextrorsum spectans addito titulo cuius hae tantum restant litterae IMPANTON...., in parte posteriore cuius imaginem in fronte huius libelli repetendam curauimus adu-

lescens gracilis alatus capite dextrorsum erecto manu sinistra chlamydem supra humerum sinistrum attollens manum dextram supra aram ardentem porrigens addito hoc titulo: COL. GEM. IVL. HAD. PA DEO CVPIDINI h. e. *Colonia Gemina Iulia Hadriana Parianorum Deo Cupidini*. Iam Rauchius pronunciauit in hoc nummo expressum esse signum aliquod Cupidinis Parii positum his uerbis usus (l. l. p. 17): „Der auf der hier vorliegenden Münze erscheinende Cupido ist wahrscheinlich nach einem in Parium befindlichen Bildwerke dieses Gottes dargestellt, wie ja gewiss häufig plastische Kunstwerke die sich in den Städten befanden ebenso wie Abbildungen der Tempel u. s. w. sich auf den Münzen der Städte erhalten haben“. Hoc autem Cupidinis signum Parianum quin Praxitelis illud fuerit quod e Plini uerbis nouimus quis est qui dubitet?

Ipsa Plini uerba si cum imagine in nummo expressa contulerimus statim intellegemus eo quod est *nudus* Plinium non indicasse Cupidinem uestitu omnino carentem sed inermem. Ceterum iniuria statuae ab Alceta Rhodio homine alioquin prorsus ignoto illata suadet ut non solum aduersum diui adolescentis corpus spectantium oculis totum patuisse, sed etiam auersi corporis partem aliquam nullo tegumento uelatam fuisse statuamus, quae sententia confirmatur imagine in nummo expressa ex qua sinistram tantum auersi corporis partem chlamyde poplite tenus descendente obtectam fuisse colligimus. Voltus dei neque demissus est, ut in celeberrimo illo Cupidine Centumcellis reperto nunc Vaticano, neque spectatoribus aduersus, sed ceruice dextrorsum inclinata erectus quasi aliquem ex alto aduenientem spectet uel uoci caelitus missae auscultet, quod eo consilio ita instituisse uidetur artifex ut deum pulcritudinis suae et effectus quem illa in animos spectantium habet incuriosum, rebus caelestibus tantum intentum — Ἐρωτα Οὐράνιον dixeris cum Platone Sympos. p. 180 E — significaret. Quamquam lectores celare nolo me hac in re non prorsus confidere imagini in nummo expressae nec procul abesse ab ea sententia ut Praxitelis Cupidinem potius oculos in uestis lacinia quam manu sinistra adprehendit fixos tenuisse statuam, quemadmodum eiusdem artificis Venerem Cnidiam oculos ad uestem quam manu sinistra tenet aduertisse e notissimo Cnidiorum nummo (u. O. Mülleri

Monumenta artis antiquae Vol. I, tab. XXXV, n. 146a) constat. Dextra autem dei porrecta indicat eum hominum vota nuncupantium dona accipere.

Finxerat igitur Praxiteles Cupidinem illum de quo agimus adolescentem aetate florentem (Ἐφύβου quem Graeci uocant) gracili corpore uultu sereno oculis intentis non spectatoribus adridentibus neque uoluptate quadam suffusis, nulla re praeter ipsam pulcritudinem ornatum, dextram adorantibus hominibus porrigentem, laeua chlamydis quae paucas tantum pulcerrimi corporis partes oculis spectantium inuidet laciniam supra humerum sinistrum addacentem. Pes dexter firmiter solo innixus corpus fulcit, sinister leuiter solum attingens paululum est proiectus.

Lustrantibus autem nobis magnum numerum simulacrorum Cupidinis ex antiquitatis naufragio nobis seruatorum non contigit ut ullum reperiremus signi Pariani quale id nummi Rauchiani adiumento usi modo restitimus ita simile ut ex illo imitatione expressum esse statueremus; quod ut aliis contingat quibus plenior quam nobis est monumentorum antiquorum inspiciendorum copia exoptamus. Proxime omnium quae nobis quidem innotuerunt ad signum Parianum accedit statua olim Burghesiana nunc Parisina in museo Luparae posita (cf. W. Fröhner Notice de la sculpture antique du musée impérial du Louvre, Vol. I, p. 312, n. 326; Clarac Musée de sculpture pl. 281, n. 1486) et propter corporis gracilitatem et propter capitis declinationem; sed chlamys iniecta est arboris trunco sinistro dei cruri apposito cui etiam manus sinistra immititur. Ad pulcritudinem autem statuæ Praxitelis repraesentandam maximi momenti esse uidetur Cupido Farnesinus — statuam dico Cupidinis mutilam anno MDCCCLXII Romae inter rudera palatii Imperatoris Domitiani in hortis Farnesinis repertam quae a Carolo Steinhäuser statuario instaurata nunc Parisiis in Luparae museo exposita est (cf. W. Fröhner Notice de la sculpture antique du musée impérial du Louvre Vol. I, p. 311, n. 325).

Denique quod attinet ad tempus quo signum Parianum fabricatus sit Praxiteles nihil habeo quod addam eis quae de huius aliorumque operum Praxitelis temporibus olim breuiter disserui in Encyclopaediae litterarum et artium serie I, Vol. LXXXII p. 457, non improbante Ioanne Querbeck in historia plasticae graecae Vol. II, p. 26 s.

Veri enim simile esse dixi— nam ad certitudinem unquam adduci posse hanc rem haud confido— Praxitelem Olympiade circiter CVII Athenis relictis Halicarnasum migrasse ac deinceps per complures annos usque ad Olympiadem fere CX in uariis Asiae minoris quam dicunt urbibus commoratum artis suae monumenta ibi collocasse. Iam si statuimus Praxitelem e meridionali Asiae minoris ora septentriones uersus iter perrexisse, circa Olympiadis CIX finem uel CX initium artificem Parii uersatum et signum illud de quo agimus fabricatum esse uel certe fabricandum spondisse non sine ueri specie coniciemus.

Ceterum signum Parianum feliciore sorte usum esse quam Thespiense, quod ab Imperatore Caio Caligula Romam auectum a Claudio Thespiensibus restitutum a Nerone iterum ereptum et Romae in Octaviae scholis positum anno urbis DCCCXXXIII incendio Romae per triduum totidemque noctes saeuiente consumptum est, ex ipso nummo Rauchiano cognoscimus qui Imperatoris Antonini Pii temporibus illud etiamtum Parii stetisse testatur: quando perierit nescimus cum de extremis urbis Parii fati— cuius etiam nunc tenues extant reliquiae in uico qui Camaraes dicitur— nihil memoriae proditum sit. Sed cum inter statuas undique collatas quibus Constantinopolis ab Imperatore Constantino eiusque successoribus ornata est Praxitelis Cupido non commemoretur, signum Parianum ante Constantinopolin conditam, fortasse a Gothis anno p. Chr. n. CCLXV Asiam minorem uastantibus destructum esse ueri simile est.

LECTIONES

I. Ordinis Theologorum

I. PROFESSORVM ORDINARIORVM.

CAROLVS AVGVSTVS HASE, D. *priuatum* h. X dd. senis *Historiae ecclesiasticae partem priorem* enarrabit; *publice* die Iouis horis uesp. VIII et IX *Seminarii theologici exercitationes* una cum collegis SS. VV. moderari perget.

OTTO PFLEIDERER, D. h. t. Decanus, *priuatum* 1) *principia theologiae practicae* sexies p. h. hora XI—XII exponet; 2) *Paulinismum post Paulum commutatum* diebus Martis et Iouis hora XII—I enarrabit; 3) *publice exercitationes eminarü homiletici et catechetici* horis usitatis moderari perget.

RICARD. ADELB. LIPSIVS, D. *priuatum* 1) *Epistolas Pauli ad Corinthios* datas explicabit quinquies per hebdomadem hora VIII—IX; 2) *Encyclopaediam quam uocant theologiae* tradet quinis diebus hora IX—X; 3) *theologiae theticae fundamenta peruestigabit* quater per heb. diebus Lunae, Mercuri, Iouis, Veneris hora III—IV pomeridiana; *publice* 4) *Seminarii theologici exercitationes in Nouo Testamento interpretando* una cum collegis SS. VV. moderabitur die Martis horis VII—IX uespertinis.

EBERHARD. SCHRADER, D. *priuatum* 1) *Introductionem in Vetus Testamentum* tradet sexies per heb. hor. XII—I; 2) *Genesis librum* interpretabitur quater hora VII—VIII; *publice* 3) *Seminarii theologici sodales in interpretando Vetere Testamento* exercebit d. Ven. hor. uespert. VII—VIII $\frac{1}{2}$.

CAROL. LUDOV. WILIBALDVS GRIMM, D. *priuatum* 1) *Matthaei, Marci, Lucae euangelia* explicabit octies p. h. et senis quidem diebus hora VIII—IX, bis hora II—III; 2) *Theologiam symbolicam* tradet quinques hora V—VI.

ADOLPHVS HILGENFELD, D. *priuatum* 1) *Epistulas et Euangelium Ioannis* interpretabitur sexies per hebd. h. VIII; 2) *Isagogen* historicam criticam in *Noui Testamenti* codicem singulosque libros tradet sexies per hebd. h. IX; 3) *Theologiam Biblicam* Veteris et Noui Testamenti docebit sexies per hebd. h. XI.

2. PRIVATIM DOCENTIS.

EDMVNDVS SPIESS, Theol. Lic. Phil. Dr. 1) *Historiam sententiarum de rebus post mortem futuris, quae ante Christi aetatem ualuerunt*, enarrabit; 2) *Pauli ad Philippenses epistolam* interpretabitur bis per hebd. hora XI.

II. Ordinis Iureconsultorum

1. PROFESSORVM ORDINARIORVM.

HENR. AEM. AVG. DANZ, D. docebit *priuatum* 1) *Ius pandectarum* sexies per hebd. hor. VIII—IX et XI—XII; 2) *Historiam iuris Romani* quinques per hebd. h. IX—X secundum librum suum: *Lehrbuch der Geschichte des römischen Rechts*, 2. Auflage. 1871. 1873. — *Exercitationes iuris ciuilis Romani* in Seminario iuridico moderabitur.

HENRICVS LVDEN, D. *priuatum* 1) *Ius criminale imperii Germanici* senis diebus hora IX explicabit; 2) in seminario iuridico *exercitationes iuris criminalis* moderabitur.

BVRCARD. GVILELMVS LEIST, D. *Exercitationes exegeticas ad explicandos difficiliore fontium iuris Romani locos* instituet horis posthac definiendis.

GVIL. ENDEMANN, D. h. t. Decanus, *priuatum* docebit 1) *Doctrinam processus ciuilis* quotidie hora XI—XII; 2) *Ius commerciale* quater per hebd. hora XII—I; 3) *Ius cambiale* bis per hebd. h. XII—I; 4) in seminario iuridico *exercitationes iuris germanici* moderabitur.

THEODORVS MVTHER, D. 1) *priuatum* enarrabit *Institutiones iuris Romani* quinquies per hebd. h. X—XI *duce Salkowski, Lehrbuch der Institutionen* (Leipzig 1868); 2) *priuatum Ius hereditarium* docebit quater per hebd. hora VII—VIII; 3) in seminario iuridico *exercitationes iuris ciuilis Romani* moderabitur.

THEOPH. CHRIST. SCHVELER, D. *priuatum ius criminale imperii Germanici* docebit sexies per hebd. hora posthac definienda.

GVIL. LANGENBECK, D. 1) *Artem ex actis iudicialibus referendi* bis per hebd. hora XII—I docebit; 2) *Exercitationes processuales* bis per hebd. hora XII—I instituet; 3) *Ius priuatum et processum ciuilem Saxonicum* quinquies per hebd. docebit hora posthac definienda.

ROBERTVS HERMANN, D. 1) *Ius Germanicum priuatum* hora VIII—IX docebit; 2) *Historiam iuris et publici et priuati Germanici* hora X—XI enarrabit.

2. PRIVATIM DOCENTIS.

FERDINANDUS KNIEP, D. 1) offert *exercitationes iuris ciuilis practicas* hora posthac definienda bis per hebd.; 2) *gratis* tradet *historiam ordinis iudiciorum priuatorum* bis per hebd. hora posthac definienda.

III. Ordinis Medicorum

1. PROFESSORVM ORDINARIORVM.

F. RIED, D. 1) *Clinicam et Policlinicam chirurgicam* quotidie hora IX, 2) *Cursum operationum in cadaueribus* instituendarum hora II moderabitur; 3) *Chirurgiam practicam* hora VIII tradet.

CAROLVS GEGENBAVR, D. tradet 1) *Osteologiam et Syndesmologiam corporis humani* ter per hebd. h. XII—I *privatim*; 2) *Anatomen comparatam* quinques per hebd. hora XI—XII *privatim*; 3) *Exercitationes anatomicas privatissime* instituet.

BERNARDVS SIGM. SCHVLTZE, D. 1) *Scholas clinicas gynaecologicas et obstetricias* quotidie hora X—XI habebit; 2) *Cursum operationum obstetriciarum*, 3) *Cursum explorationis gynaecologicae* instituet horis definiendis.

GVILELMVS MVELLER, D. h. t. Decanus, 1) *Anatomiam pathologicam specialem* quotidie hora VII—VIII matutina, die Lunae hora VI—VII uespertina tradet; 2) *Artem sectionum* docebit horis posthac defin.; 3) *Exercitationes microscopicas* offert diebus Martis et Veneris hora III—V.

GVILELMVS PREYER, D. 1) *privatim Physiologiam neruorum et musculorum* ter p. h. hora IX—X, 2) *privatim Physiologiam sensuum* ter p. h. tradet diebus Iouis et Veneris hora IX—X, d. Mercuri hora X—XI; 3) *privatissime et gratis Disquisitiones experimentales* in laboratorio physiologico instituet quotidie.

GVILELMVS LEVBE, D., 1) *Clinicam et Policlinicam medicam* quotidie inde ab hora XI moderabitur; 2) *Pathologiam et Therapiam specialem* quinques per hebd. horis posthac definiendis docebit; 3) *Scholam policlinicam specialem* semel per hebd. publice habebit.

2. PROFESSORVM EXTRAORDINARIORVM.

P. SCHILLBACH, D. 1) *Scholas clinicas ophthalmologico-otiatricas* ter per hebd. h. X—XI, 2) *Cursum ophthalmoscopicum* ter per hebd. h. VI—VII p. m. habebit;

3) *Pathologiam et Therapiam morborum auris humanae* docebit ter per. hebd. h. VI—VII matutina; 4) *Repetitorium chirurgiae* instituet.

F. SIEBERT, D. 1) *Psychiatriam forensem* tradet cum exercitationibus practicis coniunctam bis per hebd. h. III—IV; 2) *Scholas psychiatrico-clinicas* in nosocomio magniducali psychiatrico habebit ter per hebd. hor. III—IV.

M. SEIDEL, D. *Pharmacologiam* quater per hebd. h. VI—VII docebit *priuatim*.

IV Ordinis Philosophorum.

1. PROFESSORVM ORDINARIORVM.

CAROLVS SNELL, D. tradet 1) *Geometriam sublimiorem* sexies per hebd. h. XI *priuatim*; 2) *Opticam analyticam* quater p. hebd. hora XII *priuatim*.

IO. GVST. STICKEL, D. *priuatim* 1) *Psalmos* h. VII—VIII interpretabitur; *publice* 2) *linguam Syriacam* bis p. hebd. docebit, 3) *Scriptores Arabicos* bis p. hebd. exponere, 4) *Seminarium suum orientale* moderari perget.

CAROLVS NIPPERDEY, D. 1) *Sallustii Catilinam* interpretabitur ternis diebus hora XI; 2) *Seminarii philologi* sodales in interpretandis *Taciti historis* exercebit singulis diebus hora XI.

E. E. SCHMID, D. docebit 1) *priuatim Mineralogiam* sexies per hebd. hor. mat. VII—VIII; 2) *publice Geographiam geognosticam Germaniae* semel p. hebd. hora posthac definienda; 3) *Exercitationes mineralogicas* in instituto mineralogico solito more moderari perget.

ADOLPHVS SCHMIDT, D. 1) *priuatim Historiam ueterum Graecorum* tradet quater per hebd. diebus Martis, Mercuri, Iouis, Veneris, hora III—IV; 2) *publice Exercitationes historicas* moderari perget.

BRVNO HILDEBRAND, D. priuatim 1) *Oeconomiae publicae doctrinam* tradet quinquies per hebd. hora IX—X; 2) *de methodo statistica* disseret bis per hebd.; *priuatissime* 3) *Seminarii politici* exercitationes die Martis hora VI—VIII et 4) *Seminarii statistici* exercitationes moderari perget.

IO. GEORG. ANTONIVS GEVTHER, D. h. t. Decanus, tradet 1) *Chemiam experimentalem* sexies per hebd. hora VIII—IX; 2) *Chemiam organicam* quater per hebd. hora III—IV. In laboratorio academico *Praxin chemicam* docebit.

ERNESTVS HAECKEL, D. priuatim 1) *Ontogeniam et phylogeniā hominis* diebus Martis et Iouis hora XII—I, 2) *Palaeontologiam generalem* diebus Mercuri et Veneris hora XII—I tradet; 3) *Cursum zoologicum practicum* diebus Martis et Iouis hora V—VII *priuatissime* itemque 4) *Cursum histologicum practicum* quaternis per hebd. horis *priuatissime* instituet in laboratorio zoologico.

CONRADVS BVRSIAN, D. priuatim 1) *Artium apud Graecos Romanosque historiam* enarrabit quaternis diebus hora VIII; 2) *Sophoclis Electram* explicabit binis diebus h. VIII; *publice* 3) *Seminarii philologi sodalibus Lycurgi Leocrateam* interpretandam proponet die Iouis hora V; 4) *Seminarii archaeologorum exercitationes* moderabitur die Lunae hora V.

MAVRICIVS SCHMIDT, D. publice 1) *in Seminario philologo disputationes de commentationibus sodalium instituendas* moderabitur h. IX—X die Lunae; 2) *Seminarii paedagogici exercitationes* regere perget singulis diebus (Merc.) h. III—IV; *priuatim* 3) *Encyclopaediam et methodologiam disciplinarum philologicarum* tradet quinis diebus h. IX—X; 4) *Aeschylī Agamemnonem* interpretabitur binis diebus (Merc. Sat.) h. X—XI.

ED. STRASBVRGER, D. 1) *Botanicen generalem* quinis diebus hora IX—X *priuatim* et 2) *Historiam naturalem plantarum archispermarum (gymnospermarum)* semel per hebd. h. posthac definienda *publice* tradet; 3) *Exercitationes botanicas* bis per hebd. binis horis *priuatissime* instituet; 4) *Inuestigationes speciales* quotidie horis antemeridianis *priuatissime* et *gratis* moderabitur.

CAROLVS FORTLAGE, D. *priuatim* 1) *Systemata philosophorum inde a Kantio* exponet duce libro suo „*Genetische Geschichte der Philosophie seit Kant*“ quater per hebd. hora III; 2) *Psychologiam et Anthropologiam* docebit duce libro suo „*System der Psychologie als empirischer Wissenschaft aus der Beobachtung des inneren Sinns*“ quater p. h. hora IV.

CHRIST. ED. LANGETHAL, D. *priuatim* 1) *Botanicen oeconomicam* docebit ter per hebd. hora XI—XII; 2) *Doctrinam de agrorum pratorumque natura binis* per hebd. diebus horis V—VII tradet et Excursionem in agro Ienensi instituet.

C. OEHMICHEN, D. in schola georgica quinquies per hebd. hora VII—VIII *priuatim* 1) *Modum agriculturæ tractandæ*, 2) *Ouium educationem et lanæ cognitionem*, 3) *Agriculturam* docebit; 4) *Seminarium agriculturæ* bis per hebd. *gratis* moderabitur.

2. PROFESSORVM EXTRAORDINARIORVM.

LVD. SCHRÖN, D. *priuatim* 1) *Astronomiam popularem* quaternis diebus hora III—IV, *priuatissime* 2) *Geometriam practicam* quaternis diebus hora I—II adiunctis *exercitationibus* ope instrumentorum obseruatorii magnitudinalis atque suorum foris instituendis et 3) *Astronomiæ practicæ* partem theoreticam uel usus instrumentorum speculae astronomicae magnitudinalis atque reductionis quae dicitur theoriam ter per hebd. h. IX—X docebit.

GVIL. FR. WILIBALD. ARTVS, D. *priuatim* docebit 1) *Chemiam generalem* h. VIII—IX; 2) *Chemiam organicam* hora III—IV; 3) *Botanicen medicam una cum Pharmacognosi* duce libro suo „*medicinische Botanik und Handatlas etc. Editio quinta. Iena, Mauke 1872*“ hora IX—X; *priuatissime* autem 4) *Exercitationes pharmaceutico-chemicas practicas* instituet.

IO. ERNEST. LVD. FALKE, D. *Pathologiam et Therapiam ueterinariam* quater per hebd. *priuatim* tradet.

C. I. P. HERM SCHAEFFER, D. docebit *priuatim* 1) *Analysin algebraicam* quater per hebd. hora VI—VII matut.; 2) *Physicam experimentalem* sexies per hebd. hora X—XI; 3) *Geometriam practicam* bis per hebd. diebus Lunae et Veneris hora V—VII. Praeterea *priuatissime* sed *gratis* *Exercitationes mathematicas* hora posthac definienda moderabitur.

ED. REICHARDT, D. *priuatim* tradet 1) *Chemicam analyticam* quater per hebd. hora posthac defin.; 2) *Chemicam technologicam* sexies per hebd. hora VIII—IX; 3) *Elementa Chemicae* diebus Lunae, Mercuri et Veneris hora II—III; 4) *Exercitationes chemicas* quotidie moderabitur.

BERN. MAVR. VERMEHREN, D. *Thucydidis* librum II enarrabit bis p. h. hora VII *priuatim*.

ERNESTVS HALLIER, D. *priuatim* tradet 1) *Botanicam generalem* quinis diebus hora IX—X; 2) *Cognitionem plantarum secundum ordines naturales* quinis diebus h. VII—VIII mat.; 3) *Exercitationes systematicas* instituet die Saturni i. VII—IX; 4) *Geographiam et Historiam plantarum* quinis diebus h. X—XI docebit; 5) *priuatissime* *Exercitationes phytotomicas* moderabitur; 6) *publice* *Excursiones* in agro Ienensi instituet.

RVDOLPHVS GAEDDECHENS, D. 1) *publice* *de urbe Herculaneis* disse-
ret semel per hebd. h. XII—I; 2) *priuatim* *Encyclopaediam et Methodologiam archaologiae uniuersae artium a Graecis Romanisque cultarum* docebit una cum explicatione monumentorum quae in museo archaeol. asseruantur quater per hebd. i. X—XII; 3) *publice* *in seminario archaeologico gemmas sculptas* interpretandas proponet semel per hebd. h. V—VI.

ERNESTVS ABBE, D. *priuatim* 1) *Geometriam analyticam* docebit quater per hebd. hora XI—XII; 2) *de motu corporum solidorum* disseret quater per hebd. hora X—XI.

BERTHOLDVS DELBRVECK, D. 1) *priuatim* *Graecae linguae grammaticam* tradet quaternis per hebd. horis X—XI; 2) *publice* *interpretationes Sanscritas* moderabitur binis per hebd. horis posthac definiendis.

EDVARDVS SIEVERS, D. 1) *priuatim Germanicae linguae grammaticam* tradet quater per hebd. hora XII—I; 2) *priuatissime et gratis exercitationes societatis germano-philologiae* moderabitur binis per hebd. horis posthac definiendis; 3) *publice Selecta linguae Francogallicae uetustioris monumenta* interpretanda proponet Bartschi librum qui inscribitur *Chrestomathie de l'ancien français*, Leipzig 1872 secutus, semel per hebd. hora XII—I.

3. PRIVATIM DOCENTIVM.

FRIDERICVS KLOPFLEISCH, D. tradet *priuatim Historiam artium uniuersalem* (architecturae, picturae, sculpturae) quater per hebd. diebus Lunae, Martis, Iouis, Veneris hora II—III.

CAROLVS WITTICH, D. 1) *Historiam uniuersalem inde ab aeuo Caroli V usque ad pacem Guestphalicam* ter per hebd. hora posthac definienda enarrabit; 2) *priuatissime et gratis moderabitur Exercitationes historicas de rebus ex medio aeuo desumptis*.

FRIDERICVS SCHVLTZE, D. *Anthropologiam uniuersalem comparatiuam* quater per hebd. hora IV p. m. *priuatim* docebit.

C. CAPPELLER, D. 1) *priuatim Elementa linguae Sanscritae* docebit ter per hebd.; *gratis* 2) *Kalidasae Meghadutam* interpretabitur bis per hebd., 3) *De scaenica poesi Indorum* disseret semel p. h.

IVLIVS WALTER, D. *priuatim Historiam philosophiae Graecorum* enarrabit diebus Mart. Merc. Iou. Ven. h. VII—VIII matutina.

AEMIL. SCHVSTER, D. med. uet. *priuatim* tradet 1) *Equorum educationem et de equorum aestimatione* ter per hebd., 2) *Artem equis soleas ferreas suppiniendi* semel p. h.; *gratis* habebit 3) *Scholas clinicas ueterinarias* quotidie h. XII—I.

ARTIVM LIBERALIVM DISCENDARVM OPPORTVNITAS.

Instrumentorum tractandorum artem publica auctoritate docebit *Frid. Aug. Guil. Lud. Roux*.
Musiconum studiis nervorumque cantu delectantur hasque artes perdiscere cupiunt, iis operam suam
spondet *Ernestus Naumann*, Dr. ph., academic. symphoniarum praefectus.
Administer aedilicius *Spittel* in schola georgica semel per hebd. horis IV—V et IX—X docebit
architecturam ruralem.
Georg. Franc. Adolph. Besemann artem docebit instrumenta anatomica et chirurgica fabricandi.
Albert. de Obstfelder artem saltandi docebit.
Carolus Zeiss officia sua offert iis, qui artem instrumenta physica construendi addiscere cupiunt,
nec minus lentium vitrearum opticarum elaborationem earumque coniunctionem docebit.

INSTITVTA PVBLICA.

Bibliotheca academica libros petentibus in usus domesticos quotidie patet horis XII—I et II—III.
Hortus botanicus magniducalis quotidie patet litterarum studiosis.
Museum mineralogicum magniducale aperietur d. Veneris h. XI—I.
Museum zoologicum die Saturni horis XI—I uisentibus patebit.
Speculam astronomicam magniducalem et *Museum anatomicum* qui uisere uolet, his institutis
praefectos adeat.
Museum archaeologicum die Mercuri h. XI—I uisentibus aperietur.
Museum nummorum orientalium magniducale hora uisentibus commoda aperietur.
Museum Germanicum die Saturni hora XII—I uisentibus patebit.

SCHOLAE ORDINE CHRONOLOGICO DESCRIPTAE

Theologicae.

Juridicae.

Medicae.

Philosophicae.

Hora VI — VII.

Norb. aurium ter D. *Schillbach.*

Analys. algebr. D. *Schäffer.*

Hora VII — VIII.

Anat. pathol. spec. D. *Müller.*

Mineral. D. *Ernst Schmid.*
Mod. agricult. omnium educ. etc. D. *Oehmichen.*
Thueyd. lib. II. D. *Vermehren.*
Botan. system. D. *Hallier.*
Exerce. system. d. Sat. D. *Hallier.*

Hora VIII — IX.

Chirurg. pract. D. *Ried.*

Chem. experim. D. *Geuther.*
Hist. art. graec. et rom. D. *Bursian.*
Sophocl. Electr. bis D. *Bursian.*
Chem. general. D. *Artus.*
Chem. technol. D. *Reichardt.*

Hora IX — X.

Schol. clin. chirurg. D. *Ried.*
Physiol. neru. et muse. ter D. *Preyer.*
Physiol. sens. bis D. *Preyer.*

Oecon. public. D. *Hildebrand.*
Semin. philol. d. Lun. D. *Maur. Schmidt.*
Encycl. et method. phil. D. *Maur. Schmidt.*
Botan. gener. D. *Strasburger.*
Astron. pract. D. *Schrön.*
Botan. medic. D. *Artus.*
Botan. general. D. *Hallier.*

Hora X — XI.

Schol. clin. gynae. et obstetr. D. *Schultze.*
Physiol. sens. d. Merc. D. *Preyer.*
Schol. clin. ophth.-otiatr. D. *Schillbach.*

Aesch. Agam. bis D. *Maur. Schmidt.*
Physic. experim. D. *Schäffer.*
Geogr. et hist. plant. D. *Hallier.*
Encycl. et method. archaeol. D. *Güdechens.*
De motu corp. solid. D. *Abbe.*
Gramm. graec. D. *Delbrück.*

Hora XI — XII.

Anatom. comp. D. *Gegenbaur.*
Schol. clin. et polici. med. D. *Leube.*

Geometr. sublimior. D. *Snell.*
Sallust. Catil. ter D. *Nipperdey.*
Semin. philol. D. *Nipperdey.*
Botanic. oecon. D. *Langenthal.*
Encycl. et method. archaeol. D. *Güdechens.*
Geometr. analyt. D. *Abbe.*
Monum. ling. franc. vet. semel D. *Sievers.*

Hora XII — I.

Osteol. et syndesm. D. *Gegenbaur.*

Optic. analyt. D. *Snell.*
Ontogen. et phylogen. hom. bis D. *Hüffel.*
Palaeontol. bis D. *Hüffel.*
De Hercul. semel D. *Güdechens.*
Gramm. german. D. *Sievers.*
Monum. ling. franc. vet. se. D. *Sievers.*

Hora I — II.

Geometr. pract. D. *Schrön.*

Hora II — III.

Curs. operat. in cadau. D. *Ried.*

Elem. chemiae ter D. *Reichardt.*
Histor. artium D. *Klopffleisch.*

Genesis D. *Schrader.*
Psalms D. *Stichel.*

Ius heredit. D. *Muther.*

Epistt. ad Corinth. D. *Lipsius.*
Matth. Marc. Luc. D. *Grimm.*
Joann. epist. et euang. D. *Hilgenfeld.*

Ius pandect. D. *Danz.*
Ius germ. priuat. D. *Hermann.*

Encycl. theol. D. *Lipsius.*
Isag. in Nou. Test. D. *Hilgenfeld.*

Hist. jur. rom. D. *Danz.*
Ius criminale D. *Luden.*

Hist. eccl. p. I. D. *Hase.*

Instit. D. *Muther.*
Hist. jur. publ. et priu. germ. D. *Hermann.*

Theol. practic. D. *Pfleiderer.*
Theol. biblic. D. *Hilgenfeld.*
Epist. ad Philipp. bis Lic. *Spiegs.*

Ius pandect. D. *Danz.*
Process. ciuil. D. *Endemann.*

Paulin. p. Paul. comm. bis D. *Pfleiderer.*
Introduct. in Vet. Test. D. *Schrader.*

Ius commerc. quat. D. *Endemann.*
Ius cambiale bis D. *Endemann.*
Art. ex. act. refer. bis D. *Langenbeck.*
Exerce. process. bis D. *Langenbeck.*

Matth. Marc. Luc. bis D. *Grimm.*